DE PRAEDICTIS (fol. 163 vb): Cerinthus ab inferiori potestate, quae eum qui est super omnia deum ignorabat, factum esse mundum dixit. Jesum non ex virgine natum et tamen prae ceteris hominibus plus potuisse asseruit. Alium esse Christum in Jesum post baptismum in figura columbae descendentem et in fine revolantem et alium esse Jesum affirmare non dubitavit. Jesum autem passum esse et Christum spiritalem et impassibilem esse asseveravit. Hic haereticus, sicut ceteri haeretici ante eum, summum deum creatorem mundi esse negat. Matrem etiam dei cum filio suo inhonorat. Christum solvit et dividit, contra quem Johannes in canonica epistula dicit „Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse ex deo est, et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex deo non est“ (1 Joh 4, 2–3). Secundum hoc Johannis testimonium Jesus est, qui venit in carne et qui hoc confitetur, ex deo est, qui autem negat Jesum esse Christum, hic solvit Jesum, hic ex deo non est.

DE EBIONITIS EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 26, 16–25)

DE PRAEDICTIS (fol. 164 ra): Ebionaei ex parte nobiscum sunt et ex parte contra nos sunt. Confessionem fidei nostrae de creatore mundi et evangelium Matthaei recipiunt, Paulum abiciunt, prophetica curiosius exponunt, consuetudines legis custodiunt. Isti haeretici nova et vetera iungunt, catholica et haeretica confundunt, nostra alienis corrumpunt, sicut caupones aquam miscent et vinum iuxta quod in Isaia scriptum est: „Corpus illis quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhaerebit, et tenentes se nequamquam separabuntur“ (Job 41, 6–8). Corpus Leviathan sunt omnes reprobi et omnes haeretici. Scuta fusilia sunt scripturae testimonia, quia ad protectionem fidei et defensionem veritatis praeparata sunt. Haec fusilia sunt, quia arte fusoris artificis videlicet spiritus sancti composita. Spiritus enim sanctus omnium est artifex omnem ha-

bens scientiam. Squamae serpentinae pellis tegumenta sunt. Haec autem sunt argutae falsitatis molimina et obiectae impietatis velamina. Haeretici autem, qui sunt corpus Leviathan, tunc scuta fusilia sunt, cum vera dogmata assumunt et recipiunt, squamis vero se prementibus compacti sunt, quia ad assertionem vel defensionem sui erroris veris falsa adiungunt. Serpens squamis tegitur, quibus se prementibus quasi pro scuto utitur. Sic fraus haeticorum suis argumentis obvolvitur et mutuo favore quasi compressione squamarum in duritiam solidatur. In conversione Pauli ceciderunt ab oculis eius tamquam squamae. Per gratiam enim illuminatus blasphemus et persecutor esse desinit. Coniunguntur squamae et adhaerent una uni, quia haeretici in errore vicissim se detinent et ab invicem non adhaerent (sic). Spiraculum non incedit per eas, quia verba sacra, quae sunt spiritus et vita, non capiunt in eis. Utuntur enim eis ad seductionem, non ad aedificationem.

DE NICOLAITIS EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 26, 26–33)

DE PRAEDICTIS (fol. 164 va): Nicolaitae indiscrete viventes et indifferentiam operum docentes ex illis sunt, de quibus dicit Isaias: „Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum“ (Jes 5, 20). Iniquitatem et iustitiam, tenebras turpitudinis et lucem honestatis, amaritudinem vitiorum et dulcedinem virtutum aequae aestimant et indifferenter pensant. Transgrediuntur leges et mutant ius, dissipant foedus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit eos.

DE CERDONE EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 27, 1–8)

DE PRAEDICTIS: Cerdon docens alterum deum iustum, alterum bonum esse. Successorem habuit Marcionem, qui hanc doctrinam ampliavit.

DE MARCIONE EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 27, 9–52)

DE PRAEDICTIS (fol. 164 vb): Marcion alium deum ponit annuntiatum a prophetis, quem contrarium sibi dicit, et alium ponit patrem, a quo Jesus emissus est. Alium adhuc ponit deum fabricatorem mundi, quem cosmocratorem vocat. Sacramenturam pro voluntate sua circumcidit. Animarum salutem sibi credentibus promittit, corporum salutem non admittit. Malos salvatos, bonos vero non salvatos impudentissime asserit. Marcion, qui de bonis et iustis talia praedicat, proprio iudicio nec bonus nec iustus esse convincitur aut cum bonis et iustis iustissime condemnatur. Hic est Marcion, qui Polycarpo Johannis apostoli discipulo Smyrnae episcopo obviam veniens dixit: „Cognoscis nos“? cui Polycarpus respondit: „Cognosco primogenitum diaboli.“ Hoc de Polycarpo et Marcione refert Hieronymus in libro de viris illustribus. (PL 23, 635 C)

DE CONTINENTIBUS ET TACIANO EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 28, 8–26)

DE PRAEDICTIS (fol. 165 ra): De hoc Taciano scribit Hieronymus in libro de viris illustribus sic dicens (PL 23, 645C). Haec Hieronimus de Taciano. Isti haeretici, qui dicuntur continentes continentiam et abstinentiam praedicantes, sicut pseudoapostoli et operarii subdoli, transfigurant se in apostolos Christi. Apostoli enim continentiam et abstinentiam verbo et exemplo docuerunt, verumtamen nuptias non damnarunt. Apostolus dicit „Ipse sathanas transfiguratur se in angelum lucis“ (2 Kor 11, 14). Non est ergo mirum, si ministri eius transfigurantur velut ministri iustitiae. Haec haeresis continentium hodie recalescit, invalescit et in multis nationibus supra modum contra ecclesiam insolenscit. Multi enim huius sectae homines se Christi discipulos et apostolorum sectatores profitentur. Vilitatem vestium, parcitatem ciborum sub religionis specie eligunt, in episcopis et sacerdotibus ceterisque ecclesiasticorum graduum ordinibus luxum et superfluitatem in cibus et potibus, preciosa veste et minus moderata evectioe reprehendunt. Favore praetendente humilitatis multos sibi alliciunt, multos in errorem mittunt, ut ecclesiasticis sacramentis secum pariter contradicant, ut praelatis ecclesiarum reverentiam et oboedientiam subtrahant, ut unitatem fidelium solvant, ut pacem oboedientiae rumpant, ut haereses, schismata (fol. 165 va) et scandala inducant, ut se religiosos et eos, qui cum eis non sunt, irreligiosos videri faciant, et sibi tantum in his, quae

dei sunt, credendum esse persuadeant. De talibus praedicit apostolus in epistola ad Colossenses monens eos, ne post gratiam evangelii in observantiam caeremoniarum legis seducti inducantur. Ammonitionem autem Colossensibus factam sic format, ut ad generalem ecclesiae eruditionem pertineat, in praecavendis insidiis eorum, qui secundum praecepta et doctrinas hominum per speciem religionis sinceritatem fidei corrumpere moluntur. Dicit autem sic „Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suae et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum dei“. (Kol 2, 18–20) Primo ponit apostolus seducentium intentionem, deinde seductionis unum pluresve modos, postea eorundem seducentium inanem laborem et deinde eorum elationem. Post haec frustrati laboris et elationis causa subinfertur intentionem seducentium indicans dicit: „Nemo vos seducat volens quae non vidit.“ Prophetiae viderunt et voluerunt ea solum docere, quae viderunt. Locutus est enim deus in visione sanctis suis. Propterea et videntes dicti sunt prophetae, qui a deo docti et missi viderunt et audierunt et alios sic docuerunt. Humilitas, ciborum parcitas et vestimentorum vilitas. Quae sit angelorum religio intelligitur ex eo, quod dominus in evangelio dicit: „Neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli dei“ (Mt 22, 30). Vel religio angelorum est deum adorare et indesinenter laudare. Unde scriptum est: „Adorate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes angeli eius (Ps 97, 7).“ Ficta autem humilitas, simulata castitas, non vera adoratio et indecora laudatio deo non placent. Qui per haec vult propheta videri, volens suadere, quae non vidit, seductor est. Vilior autem habitus sine pietate non iustificat. Esca sumpta vel non sumpta sine pietate non sanctificat. „Non est enim regnum dei esca vel potus, sed iustitia et pax et gaudium in spiritu sancto“ (Röm 14, 17). Castitas mentis commendat castitatem corporis. Unde apostolus virginem ammonet, ut sit sancta mente et corpore (vgl. 1 Kor 7, 34). „Veri adoratores adorant in spiritu et veritate“ (Joh 4, 23). „Non est speciosa laus in ore peccatoris“ (Sir 15, 9). Hypocrisis coloratur mendacium, ut non appareat perfidiae fraudis commentum. Qui in hypocrisis loquitur mendacium, „ambulat frustra“, quia sibi et aliis non solum inutilis, sed et perniciosus existit. Propterea „inanis labor“ est, per elationem inflatus est „sensu carnis suae“. Non dixit sensu mentis, sed sensu carnis, quia per solertiam sensus, qua cogitat seducere neglecta cura mentis, verbo et exemplo praedicit incuriam carnis et ideo „non tenet caput“. Caput autem Christus, cuius corpus ecclesia est (vgl. Kol 1, 18). Qui non est sub capite, non manet in corpore. Qui se separat ab ecclesiastica societate, divisus est ab ecclesiae unitate, quia totum corpus „per nexus et coniunctiones subministratum et constructum est“. Sunt in ecclesia personae diversarum facierum secundum divisiones gratiarum. Monemur autem gratiam ad alterum administrare. Monemur invicem diligere, honore invicem praevinire, alter alterius onera portare et multa in hunc modum. Haec vicissitudines mutuae dilectionis et alternae praeventiois et subventionis, mutuae subministrationis et supportationis nexus sunt, qui sicut nervi membra ligant. Haec autem operatur mutua caritas, quae est vinculum pacis et vinculum perfectionis (vgl. Kol 3, 14). In hoc vinculo servatur unitas spiritus. Unitatem spiritus operatur ipse spiritus, quem misit deus in corda sua clamantem Abba pater (vgl. Gal. 4, 6). Hic membra coniungit et unit, ut ex multis fiat unum corpus. Omnes, qui in ecclesia sunt, concordēs facit in una fide, in uno baptisate, in unius domini servitute, in eorundem sacramentorum participatione. Haec sunt „coniunctiones membrorum“, per quas corpus est constructum, quod „per nexus est subministratum“. Fides enim et sacramenta et unius domini oboedientia corpus construunt. Nexus vero, ut dictum est, subministrationem faciunt. Hoc corpus sic subministratum et sic constructum „crescit in augmentum dei“, in augmentum scilicet, quod operatur deus, qui ecclesiam numero et merito multiplicare non cessat, quo et augmento et deus augetur in membris suis sicut in corpore suo. Apostolus subinfert „Ne tetigeritis neque gustaveritis neque contrectaveritis, quae omnia sunt usu ipso in interitum secundum praecepta et doctrinas hominum“ (Kol 2, 21). Vox apostoli est momentis per similitudines non consentire haereticis, qui per humilitatem et abstinentiam seducere cogitant. „Ne tetigeritis“ semel vel leviter. „Neque contrectaveritis“ saepe vel assidue vel studiose. Qui tangit vel comedit immundum, immundus est. Qui favet vel consentit haereticis, haereticus est. Propterea quae tradunt haereticis, non sunt tangenda vel gustanda, quia omnia „ipso

usu“, gustu scilicet vel tactu in interitum sunt, quia animas eis credentium in puteum interitus trahunt. Non enim sunt haec secundum praecepta dei, sed hominum, ad subversionem fidei excogitata et introducta. De talibus dicit dominus per Isaiam „Populus iste ore suo et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me et timuerunt me mandato hominum et doctrinis,“ (Jes 29, 13). Addit apostolus: „Quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione et humilitate et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis“ (Kol 2, 23). Haec quae ab haereticis confinguntur, sunt quidem „rationem habentia sapientiae“, non quidem in veritate, sed in similitudine et simplicium opinione. Legalis observantia et continentia et abstinentia apud simplices multum possunt ad seductionem eorum. Superstitio et humilitas haec est corpori non parcens sine honore aliquo in viliori habitu esse. Carnem tantum saturare hoc est sustentationem vitae non de haeretico cibo procurare vel, si negatio a superioribus repetatur, ut a communi accipiatur, negative potest intelligi hoc modo ad non parcendum corpori ad saturitatem carnis id est ad non saturitatem caro, sed secundum hoc saturitas intelligenda est ea, quae est in esu carniū. Hanc enim ipsi detestantur.

DE ALIIS HAERETICIS (SC 264, 28, 27–31)

DE PRAEDICTIS (fol. 166 va): Dominus miscuit spiritum vertiginis in medio haeticorum (vgl. Jes 19, 14). Errant enim sicut ebrii sibi invicem occurrentes et adversantes et christianae veritati repugnantes. Alii enim et alii aliter et aliter formam vivendi praescribunt. Hi autem a licitis retrahunt, illi impetum voluntatis ad illicita resolvunt et in utroque hi vel illi veritati contradicunt et veritati contradicendo inter se conveniunt. Caudae vulpium iunctae sunt altera cum altera. Quae sunt vulpes Ezechiel dicit de „prophetis insipientibus, qui spiritum suum sequentes et nihil vident, quasi in desertis vulpes prophetae tui Israel“ (Ez 13, 4). Ergo prophetae volentes persuadere, quae non viderint, vulpes sunt. Desertum bestiarum, habitatio daemonum, commoratio ... superstitionosa religio. Hic pseudoprophetae habitant „quasi vulpes in desertis.“ Quae est cauda vulpium Isaias dicit: vir prophetans mendacium ipse est cauda (vgl. Jes 9, 15). Capita vulpium sunt Basilides et Carpocrates, membra diaboli capita bellatorum eius, caudae vulpium discipuli fautores, sectatores et sequaces eorum, quos post se trahunt. Omnes hii contra veritatem convenerunt. Contra pietatem calumnias struunt et quamvis inter se contrarii, tamen in hoc consentiunt, quod omnes pariter perfidiae studio et pietatis odio contradicunt veritati.

DE ALIIS HAERETICIS, QUI EMISSIONES ALITER PONUNT EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 29, 3–63, Auszüge)

DE PRAEDICTIS (fol. 166 vb): Novis et nefandis commentis nova et horrenda nomina imponunt, ut per hoc simplices et indoctos in stuporem admirationis adducant et sic stupidos et atterritos facilius seducant.

DE ALIIS HAERETICIS EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 30, 1–180, Auszüge)

DE PRAEDICTIS (fol. 167 ra): Qui post aliorum figmenta similia finxerunt, ne aliorum mutationes esse viderentur, callide nomina mutaverunt et praecedentibus aliorum commentis novas adinventiones addiderunt, ut mutatione nominum et additione novorum de alienis tamquam de propriis novam conderent sectam.

DE OFFITIS ET CAINITIS EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 31, 1–17)

DE PRAEDICTIS (fol. 167 rb): Omnes hi praedicti haeretici, sicut „Iannes et Mambres resisterunt Moysi, ita resistunt veritati. Homines corrupti mente reprobi circa fidem, sed ultra non proficiunt. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit“ (2 Tim 3, 8–9). Haec sunt portae inferi, haec genimina viperarum, haec paludes aquarum fetentem nebulam exhalantes, quae totam terram tegebat. Hi hostes veritatis, inimici pietatis, praecones impietatis, organa falsitatis. Horum perfidia in sanctis conciliis ex sacris scripturis detegitur, convincitur et condemnatur.

DE MARCO: Scribit praeterea Irenaeus in primo libro de doctrina Colarbaseorum et Marci. Hic autem Marcus (SC 264, 13, 2-4.8-10.33-38). De hoc Marco scribit Hieronymus in epistula ad Theodoram Hispanam his verbis (Ep. 75, 3; PL 22, 687-688) Haec Hieronymus de Marco.

QUIBUS TEMPORIBUS FUERUNT VALENTINUS, CERDON ET MARCION EX TERTIO LIBRO IRENAEI (SC 211, 4, 45-65).

OSTENSIO QUOD HAERETICI EX PHILOSOPHIS SECTAE SUAE OCCASIONES ACCEPERUNT EX SECUNDO LIBRO IRENAEI (SC 294, 14, 25-47)

OSTENSIO QUOD EX PASSIONIBUS ANIMI CONIECTURAS OPINIONUM SUARUM ACCEPERUNT EX SECUNDO LIBRO IRENAEI (fol. 168 ra): Non solum ex poeticis figmentis et philosophicis commentis characteres sectarum suarum figuraverunt, sed ex motionibus, affectionibus et passionibus humanae mentis coniecturas suarum opinionum sumentes, quae in nobis sunt, per similitudinem ad divina transtulerunt. De his motionibus animi Irenaeus in secundo libro sic ait (SC 294, 13, 24-60). EXPLANATIO PRAEDICTORUM (fol. 168 rb): Sex animi motiones sive affectiones bis distinguit et ordinat et his omnibus praepositum Nun. Nus autem principalis sensus est, qui a nullo emittitur, sed omnes affectiones a se emittit et omnes per se disponit. Hoc est iudicium mentis, cuius nutu, quae mente cogitantur et tractantur, omnia ordinantur. Duos autem ordines ponit. In primo ordine primo nominat ennoiam, quam appellat primam motionem. Haec est prima emissio a principali sensu. Haec est enim prima animi conceptio. Hanc in secundo ordine contemplationem dici posse insinuat dicens „de quo quis contemplativus est, de eo et cogitat“. Pro cogitatione, quam in secundo ordine insinuat, in primo ordine ponit enthymesim. Enthymesis autem superius in secta Valentini concupiscentia dicitur superioris Sophiae, quae cum passione ab ea separata et extra pleroma facta, ex hoc intelligens, quod enthymesis est cogitatio aucta et desiderio animae affecta. Propter quod dicit eam universam animam apprehendere. Post enthymesim ponitur in primo ordine sensatio. Haec est animi affectio, qua quis sentit et sapit id est intelligit. Indilatata sensatio hoc est valde dilatata consilium fit. Et haec est quarta emissio. Quam emissionem in secundo ordine insinuat dicens „consiliatur“. Motus consilii indilatatus id est valde dilatatus hoc est multum perficiens examinatio id est approbatio. Quam emissionem insinuat in secundo ordine dicens „animo tractat“ id est corde versando probat. Haec examinatio perseverans verbum appellatur, verbum scilicet cordis, nondum oris. Hoc autem verbum affectio est, qua mens disponit manifestare hoc est in effectum producere, quod concipit, quod concupiscit, quod intelligit, quod post consilium examinat et approbat. Post haec sequitur verbum oris, quo alteri manifestantur, quae antea occulta in corde tenebantur. Dicit autem unum et idem esse haec omnia, quia sequens emissio hoc ipsum est, quod prior aucta. Prima enim mentis conceptio de aliquo opere faciendo, quae ennoia dicitur, a minima motione cogitationis incipiens, in enthymesim proficit id est concupiscentiam et desiderium cogitati operis faciendi. Tale desiderium auctum et perseverans provehitur in sensationem, qua quidem sensatione ratio et utilitas cogitati operis faciendi magis clarescit et elucescit, sentitur et intelligitur, magis dico quam in prima emissionem, quae est ennoia vel secunda, quae est enthymesis. Post hanc autem sensationem adhuc opus consilio est, ne quid subito aut praepropere fiat. De ipsa enim sensatione deliberare oportet et cum mora temporis, ut motio sensationis stabilis inveniatur et perseverans. Sensationem autem perseverante et consilio stabiliter permanente sequitur examinatio praedictarum scilicet motionum discussio et approbatio. Ennoia proponit, enthymesis concupiscit, sensatio necessaria providet, consilium impedimentum praecavet, examinatio deliberata concupiscit et considerat, discutit et pensat, ponderat et trutinat, stabilitatem consilii expectatione probat, post probationem assensatione omnia comprobant et confirmant. Verbum subsequens et aggredi gestiens dicenda praeformat, verbum egrediens cogitata demonstrat. Hic ordo motionum in his observari solet, quae proinde et cum consilii maturitate disponuntur et ad effectum perducentur. Inconstantes autem motiones sua levitate deficiunt et sine effectu ad nihilum deveniunt. Stabiles vero affectiones suis conatibus

crescunt et per gradus incrementorum proficiunt et tandem cogitati operis speciem perficiunt. Hunc ordinem cogitationum dominus ex parte insinuare videtur in evangelio dicens „Quis ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt“ (Lk 14, 28), „volens turrim aedificare“ propositum et desiderium cogitati operis demonstrat. „Computat sumptus, qui necessarii sunt“, rationem providentiae insinuat et in sequentibus dominus adiungit „Omnis rex iturus comittere bellum adversus alium regem non sedens prius cogitat, si possit cum decem milibus concurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad se“ (Lk 14, 31) consilium insinuat, quo et usus est rex alteri regi impar mittens et rogans ea, quae pacis sunt. Haec motio Irenaeus „in hominibus capit dici, cum sunt compositi natura.“ „Capit“ verbum impersonaliter ponit more suo ac si diceret capit id est capabile et intelligibile est et facile intelligi potest, quomodo fiant affectionum emissiones et aliarum post alias successiones, in hominibus, qui natura compositi sunt. In deo autem, qui natura simplex est, longe alia ratio est. Vel cum dicitur „capit“ subintelligi potest ratio. Capit enim ratio de hominibus sic dici, de deo autem non sic.

DE PRAEDICTIS: Secundum praedictas humanarum affectionum emissiones excogitaverunt haeretici eorum emissiones, Ennoiam scilicet, Nun et Logon et alios eonas. Verumtamen praedictum ordinem non observaverunt ponentes ennoiam ante Nun, cum Nus naturaliter, ut dictum est, in humanis affectionibus ennoiam praecedat.

OSTENSIO QUOD NON EST DE DEO SENTIENDUM SECUNDUM HUMANAS PASSIONES EX LIBRO II IRENAEI (SC 294, 13, 60–72)

OSTENSIO QUOD A SACRA SCRIPTURA ERRORIS SUI PATROCINIUM QUAERANT HAERETICI EX PRIMO LIBRO IRENAEI (SC 264, 8, 33–189, Auszüge)

III. Beispiel für ein zusammenfassendes Exzerpt (aus Irenaeus, adv. haer. I, c. 1–5).

QUAE EST VALENTINI SECTA ET DISCIPULORUM EIUS EX PRIMO LIBRO IRENAEI (vgl. SC 264, 1, 1–117) (fol. 161 ra) Valentinus et discipuli eius quendam in invisibilibus altitudinibus dicunt esse perfectum eonem, quem Proarchen et Propatora et Bythum vocant. Hic cum a nullo caperetur et esset invisibilis, sempiternus et ingenitus, in silentio erat et quiete multa. Cum eo dicunt fuisse Ennoiam, quam etiam Charin et Sigen vocant, in qua depositus semen, quae concepit et generavit Nun, similem et aequalem patri, et solum capientem patris magnitudinem. Hunc autem Nun Unigenitum vocant et Patrem et Initium omnium. Una autem cum eo dicunt emissam Veritatem et hanc esse primam Pythagoricam quaternationem et radicem omnium dicunt. Est autem haec quaternatio: Bythus, Sige, Nus, Alithia. Unigenitum autem Nun dicunt emisisse Logon et Zoen. De Logo autem et Zoe emissum dicunt secundum coniugationem Hominem et Ecclesiam. Hanc dicunt primogenitam octonationem, radicem et substantiam omnium, Bythum scilicet et Ennoiam, Nun et Alithiam, Logon et Zoen, Anthropon vel Hominem et Ecclesiam. Bythum dicunt secundum coniugationem copulatum suae Ennoiae id est cogitationi, quam Gratiam et Silentium vocant, Unigenitum autem Nun Alithiae id est veritati; Logon autem Zoe id est vitae et Anthropon id est hominem cum ecclesia. Hos autem eones appellant. Dicunt autem Logon quidem et Zoen, posteaquam emissus est Homo, emisisse alteros eones XII, quos certis nominibus distinguunt. Hoc dicunt spiritale pleroma tripartite divisum in octonatione, in qua sunt octo eones, et decada, in qua sunt decem eones, et duodecada, in qua sunt XII eones. Propter hoc salvatorem dicunt XXX annis in manifesto nihil fecisse ostendentem mysterium horum XXX eonum. Inter XII eones, qui sunt in duodecada, ea scilicet, quae ab Anthrope et Ecclesia emissa fuerant, novissime sunt Theletus et coniunx Sophia. Cumque Nus, qui Monogenes dictus est, solus magnitudinem Bythi cognosceret, voluit Sophia, ut dicunt, magnitudinem eiusdem Bythi apprehendere, cumque hoc non posset propter magnitudinem altitudinis, passa est passionem. Propterea eam passum eonem dicunt errantem. Postea autem ut dicunt mundata est Sophia et restituta est coniugi

Theletho et infra pleroma perseveravit. Concupiscentia eius cum passione sicut dicunt facta est seorsum et separata extra pleroma. Enthymesis autem illius superioris Sophiae, quam et Achamoth vocant, cum separata esset a superiore pleromate cum passione posita est in locis umbrae et vacuitatis et extra lumen facta est. Ex hac Achamoth dicunt subsistere materiam et substantiam animale[m] et substantiam spiritalem. Haec autem Achamoth ut dicunt formavit de animali substantia deum patrem et salvatorem et regem omnium, quae sunt eiusdem cum eo substantiae, hoc est regem substantiarum animalium, quas dexteris vocant, nec non et regem earum substantiarum, quae ex materia sunt, quas sinistras dicunt. Hunc autem Demiurgum vocant, dicentes eum patrem esse dexterorum hoc est psychicorum et sinistrorum hoc est hylicorum, levium scilicet et gravium sursum volantium et deorsum vergentium. Septem caelos factos esse dicunt, super quos Demiurgus esse dicitur et propter hoc Hebdomadam vocant eum. Septem autem caelos intellectuales esse dicunt et angelos esse tradunt et Demiurgum angelum esse dicunt, deo autem similem. Paradisum super tertium caelum existentem archangelum dicunt esse, et ab hoc aliquid accipisse Adam conversatum in eo. De spiritali substantia spiritalia malitiae docent facta. Hinc diabolus genesim habuisse dicunt et daemonia et omnem spiritalem malitiae substantiam. Diabolus autem Cosmocratorem vocant. Demiurgum quidem psychicum filium matris suae dicunt. Cosmocratorem vero dicunt creatorem Demiurgi et Cosmocratorem dicunt intelligere ea, quae sunt super eum, quoniam sit spiritalis malitia, Demiurgum vero ignorare ea, quae supra ipsum sunt, cum sit animalis. Matrem ipsorum habitare dicunt in eo, qui sit caelestis locus hoc est in medietate, Demiurgum vero in eo, qui sit in caelo locus hoc est Hebdomade, Cosmocratorem vero in eo, qui sit secundum nos mundo. Hominem dicunt animam habere a Demiurgo, corpus a limo et carnem a materia. Spiritalem vero hominem a matre Achamoth.